



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

II. De muliere adultera, quæ Martyris Ecclesiam ingredi nullatenus potuit,  
antequam per confessionem & pœnitentiam se purgavit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

## II.

Quidam vir in FRISINGENSI Episcopo, quoniam fraudata est oculorum officio, coniugem suam dimisit, aliamque extra Præceptum DEI duxit. Qua culpa adulterum illum cum superducta, Episcopi, in cuius hoc erat diocesi, animaduersione conuenit; conuictumque ex regulari poenitentia multauit. Sed persuasoris instinctu pertinax mulier ab illicitis amplexibus diuelli non potuit, sed cum matrefamilias permansit adultera. Factum est autem cum ad beati Emmerammi Ecclesiam conuentus fieri debuisset, & eadem mulier, comitantibus illuc sociata, properaret, in loco, qui VIVARIUS appellatur, vnde Ecclesiam intuita fuit, ducentis ferè ab vrbe passibus, vt nota commissi sceleris eam exagitaret. Cæpit autem tremore nimio concuti, & dissoluta humi deuolui; & cum erecta fuisset à sociis, si processum voluit, procedere non valuit; si redire studuit, redeundi facultatem non habuit. His in angustiis à superueniente sacerdote quodam deprehensa requisita est, quo crimine circumuenta pateretur talia. Hoc relato sicut erat, ad Episcopum suum regredi ab eodem est Presbytero commonita. Quod dum fecisset & effusa in lacrimas vulnus aperiret & satisfactionem ex puro corde promitteret, suscepta Ecclesiasticæ formæ medicina, ad medicum suum beatum Emmerammum, expertus animæ vulneris, & corporei securi doloris, processit. Qua in re facile colligitur, quã longe separatur incerti à regno DEI, qui sic differuntur ab ingressu domorũ electorũ suorũ. Quod ne nobis contingat, fortissima Christi medicina prohibeat.

## III.

Cum virtutum odoribus aromatizans B. Emmeramm<sup>o</sup> populos ad se traheret vndeque secus, contigit quendam virum